

192 OLEA DISTILLATA COMPOSITA.

Omnia mixta in retorta vitrea balneo arenae distilletur, ignem augendo, donec nihil amplius olei prodeat; oleum à liquore acido separatum ad usum serva.

Usus externus.

CAPUT XIX.

SAPONES.

SAPO POTASSAE TEREBINTHINACEUS.

(Tartareus Starkei.)

℞. Terebinthinae Abietis unciam unam.

Liquatae in vase fictili misce Potassae causticae et liquidae unciam semis, vel Q. S. ut quaevis massae particula in aqua solvi queat. Agita per intervalla ad Saponis spissitudinem.

Dosis à granis sex ad scrupulum semis.

SAPO SODAE MEDICINALIS.

(Sapo Venetus.)

℞. Carbonatis Sodae purificati libram unam,
Calcis vivae recentis libras duas,

Aquae communis libras triginta.

Omnia in vase ferreo coquantur per horas duas, spathula continue agitando; postea filtra per infundibulum amplum prius arena lota obturatum, vel per ollam fictilem non vitreatam foraminulo inferius instructam, omnem materiem super affundendo, et sufficientem quantitatem aquae residuo addendo ad omnis salsedinis extractionem; deinde liquorem vapora ad dimidias, vel usque turbidus appareat; ab igne semotus quiescat, et per decantationem liquorem à residuo calcareo separatum iterum vapora ad consistentiam syrupi tenuius, vel usque vas uncia una aquae distillatae repletum, drachmas novem ponderis hujus lixivii capiat, quod *Lixivium sodae saponarium* vocatur, tunc sume

Hujus Lixivii libram unam,

Olei Olivarum optimi libras duas.

Misce in vase ferreo, et coquantur igne lento, spathula continue materiem agitando, ad emplastri consistentiam; materiem semirefri-

bb

geratum mitte in modulos papyro involutos, et serva ad usum. Cognoscitur benè confectum esse, quando totum in aqua solvitur sine olei nota, et consistentiam emplastri refert.

Dosis ad semidrachmam.

Simili modo paratur sapo potassae communis addendo Lixivium potassae, carbonate potassae, et calce paratum.

SAPO AMMONIACALIS.

℞. Olei cujuscumque plantae per expressionem, aut decoctionem parati uncias quatuor, Ammoniaci liquidi semiunciam.

In mortario vitreo agita, donec albedinem, et consistentiam unguenti tenuius adquirat.

Usus externus.

N. B. Saponēs ammoniacales extemporaneè fieri debent, sive oleis coctione paratis, sive oleis distillatis, aut expressis conficiantur.